



JUS GENTIUM.

CAPUT I.

*De natura, & adfectionibus,
juris gentium.*

§. I.

Notio Gentis.

Ut in materia tam abstrusa & implicatâ circa statuenda & enodanda genuina juris gentium principia, quocirca totidem ferme occurrunt sententiæ, quot sunt auctorum hanc disciplinam pertractantium capita, verum à falso discerni possit, perspicuo digestoque ordine, ac debitâ partium concernentium segregatione rem hanc expendere pro modulo conabimur.



Itaque ante determinationem juris, quod viget inter gentes, gentis notio prius eliminanda venit ac statuenda. — Prætermiſſis notionibus gentis impropriis, proinde ad rem impertinentibus, nomine gentis rectè intelligi videtur *populus sub communi aliquo summoque imperio debitè ordinato ita colligatus, ut sub ea ratione spectatus sit independens ab alio.*

Requiritur ergo, ut inclytus ille cœtus hominum, qui gentis prærogativâ & jure gaudet, consociatus sit sub summo quodam stabilique imperio ita ordinato, ut gaudeat supremis juribus immanentibus ac transeuntibus, atque ut talem habeat regiminis formam, quæ per se se ab alia extranea non est dependens. Parum igitur refert, utrum ista regiminis forma sit monarchica, an aristocratica, num vero democratica, aut ex his variis mixta; sufficit enim ut in suo genere sit independens ab alia.

Ex his igitur principiis rectè deducitur, quod tam gens sancta, quàm profana, id est, tam respublica sacra, quàm civilis supra indiguitatis insignita proprietatibus gentis prærogativâ gaudeat et jure; enim vero quælibet earum in suo genere rectoque sensu independens est ab alia, atque sub summo quodam imperio debitè colligata.

Aliter omnino statuendam est de aliis utcumque etiam numerosis familiarum aggregatio-



gationibus irregularibus, quæ communi nulli legitimo imperio subjiciuntur; hæc quippe non tam formatae gentis, quam informis coactionis imaginem referunt, adeoque gentium subsellia non conscendunt.

Prærogativæ gentis tamen haud obsistit, si qua civitas alteri nexu clientelæ, aut feudali sit adstricta, aut se se obligaverit ad præstationem tributi, vel ad majestatem alienam comiter venerandam, quin propriè alieno se subjecerit imperio: unde *cl. de Martini Cap. XV. de jure gentium §. 1X.* inquit: “ Nationes, populi liberi ac civitates, sive regna sint, sive respublicæ etiam fœderatæ, quacunque demum regiminis formâ urantur, communi gentium nomine veniunt, cui quidem nec nexus clientelæ, nec pactum de alterius majestate comiter veneranda, nec obligatio ad annum tributum, nec contractus feudalis, sed status tantum subjectionis obsistit. Unde provinciæ, quæ alterius imperio parent, etsi singularibus prærogativis sint instructæ, gentium nomen tueri haud possunt. ”

Porro quemadmodum populus aut natio per id, quod sub summo atque legitimo quodam imperio confocietur, ad dignitatem gentis adsurgit; ita quoque ab hac prærogativa excidit, si hac dissolutâ compage in informem statum recidat: quare populus rebellis, atque à legitimo suo imperante descis-

cens,



cens, non venit illico gentis nomine compellendus.

§. II.

Notio personæ moralis ut contradistinctæ à simplici.

Persona spectari potest aut *simpliciter*, seu penes individuum suam existentiam, veluti nimirum segregata est, aut segregata esse concipitur ab aliis sociis ad communem alicujus societatis finem concurrentibus. Alia *persona moralis* est sive composita; per quam intelliguntur plura quidem individua, ita tamen inter sese ad certos fines consociata, ut moraliter loquendo unam duntaxat personam representent. Sic societates minores æquè ac majores ex pluribus individuis coalescunt, ita tamen, ut singuli in determinata societate existentes simul sumti unam solummodo personam moralem constituent.


Societas prima erat conjugalis, hanc subsequēbatur parentalis, suboriebatur herilis, & familiæ; familiis autem multiplicatis exurgebat societas civitatis, atque enascebantur respublicæ & regna: quibus constitutis gentes cœperunt; ita, ut gens una cum alterâ comparata moralem exhibeat personam ab altera distinctam, quin tamen una ab altera sit dependens: ut proinde plures gentes in-



instar personarum simplicium juxta se invicem in statu naturali viventium considerandæ sint.

Cunctæ igitur respublicæ, ac regna universa inter se se comparata sub duplici potissimum spectari possunt obrutu; videlicet quatenus ex una parte inter se se scissa sunt sive divisa, ac propria habent jura, propriasque possessiones; & ex parte altera, quatenus mutuam inter se respectum habent & influxum novum à mutuis necessitatibus & indigentis promanantem; quippe: non omnis fert omnia tellus; hic segetes, illuc veniant felicius uyæ. Et sanè, sine mutuo gentium nexu commercium nec subsistere, neque florere debitâ ratione posset, adeoque complures gentium indigentia sublevari non possent.

Porro utcumque demum gentes inter se disjunctæ sint atque distantes, manet tamen etiam semper nexus ille moralis, vi cujus homo quilibet tenetur diligere proximum suum sicut seipsum; qui nexus etiam radicatur in eo, quod in præcipuo amore summi omnium parentis conglutinemur. Personæ physicae seu individua huic sibi invicem debent amorem cum omnibus obligationibus inde redundantibus: quare igitur non eodem modo concludendum esset de personis moralibus, seu de gente ad aliam gentem comparatâ? Profectò, naturale illud principium:



um: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; item istud: quod vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, obtinet tam inter personas phyficas, quam morales.

Cum itaque gens ad gentem relata spectanda suo sensu veniat uti persona phyfica in statu naturali vivens relatè ad aliam personam phyficam in statu quoque naturali viventem; hinc est, quòd idem sit fundamentum generale jurium & officiorum gentium juxta se invicem viventium, quòd est personarum simplicium, quæ in statu naturali ita inter se se viverent, ut una ab alia non dependeret. Justum igitur est inter gentes liberas, quòd justum est inter personas simplices liberas, quarum una non dependet ab alia: eodem modo differendum est de eo, quòd æquum est; videlicet officia tam perfecta, quàm imperfecta tali ratione huc referenda sunt.

Nihilominus aliæ sæpius sunt actiones personarum simplicium, & iterum aliæ personarum compositarum; quare etiam gravia inter gentes sæpe negotia pertractantur, quæ inter personas privatas nunquam occurrunt. Sic v. g. occupare per universitatem, possidere loca ampliora, in potestatem suam redigere partem maris, insulam, fluvium &c. gentium est proprium, non hominum privatorum. Porro legatos mittere, eosque acceptare, publica inire fœdera, gerere bellum



lum &c. ad gentes pertinet liberas, non item ad homines privatos: écontra personæ privatæ ineunt contractus nuptiales, patria utuntur potestate naturali, aut filios sibi adoptant vel filias; quin ista tamen gentibus tribui possint. Consequitur, quód *τὸ suum* hominis privati, distinctum sit à *τὸ suo* gentis universæ; quin tamen obstat, quominus similitudo ac proportio fundamentalis inter personas phycas & morales salva consistat ad modum superius explanatum.

Habent ergo gentes jura sua & officia *immanentia*, per quæ republicæ, aut regna in seipsis, & in causis, ut ita dicam, domesticis regulantur: habent et sua jura ac officia *transeuntia*, quæ nempe & alias gentes adringunt, certumque in illas habent influxum; quò porissimum refertur status *belli & pacis*. — *Pax* describi solet passim, quod sit status ille, quo gentes inter se tranquillè & amicabiliter concernentia gerunt negotia, & ea, quæ sibi debent invicem, quæque æquitate postulante sibi invicem competere judicant ultro citroque præstant. *Bellum* é contra est status manus violentas sibi mutuo inferentium gentium, & ea, quæ sibi debentur, vi extorquere ideo præcipuè nitentium, quia aliâ juris viâ obtineri haud posse judicantur. — Nolim hic mentionem injicere *belli intestini*, quod quandoque in ipso generis sinu contra jura & officia immanentia non
sine



sine maximo imperantium ac subditorum incommodo ac damno foveatur.

§. III.

Notio juris gentium.

In statuenda notione juris gentium variant auctores eatenus, ut eorum discordia miram cuique videri debeat. Non erit abs re nonnullas probatorum auctorum hoc loco inferere definitiones, ut opposita juxta se posita magis elucescant.

Cl. *Desing* Cap. IV. de j. g. Them. VI. inquit: "Jus gentium est regula societatis publicæ gentium, consensu gentium acceptata conformiter altiori juri, "

Cl. *Schwarz* introd. IV. de j. g. §. I. pag. 723. ita resolvit: „Dicimus jus gentium esse ordinationem rationis, longævo gentium usu, Deique, ut societatis humanæ gubernatoris immediati, consensu inductam, ad gentium quæ talium publicam felicitatem, „

Cl. *Schwan* Art. VI. de j. g. prop. I. jus gentium ita definit: "Jus gentium strictè sumtum est conventio libera gentium, diuturnis moribus, ceu pacto tacito, in-



“ producta, tendens ad mutuū commerci-
 “ um, & commoditatem vitæ socialis. ”

Cl. de Martini Cap. XV. de j. g. sequen-
 “ tia ponit §. DXXIII. “Utrum vero jus gen-
 “ tium dicatur jus naturæ ad negotiâ genti-
 “ um adplicatum, uti volunt Hobbesius, Hei-
 “ neccius & alii; an jus naturæ per notio-
 “ nem gentium magis determinatum, ut
 “ placet Dariesio, inanis est verborum veli-
 “ tatio, quoniam conclusiones inde deductæ
 “ ideo non sunt in dubium revocatæ. At
 “ utrumque potius conjungendum videtur,
 “ ut adeo rectius jus gentium definiatur ef-
 “ se *jus naturæ ad negotia gentium adplicatum,*
 “ *atque per notionem earum magis determinatum.*”

Tandem cl. Zallinger Lib. IV. j. g. Cap.
 I. §. CCLXVIII. dicit: “ Jus gentium natu-
 “ rale est complexio jurium & obligationum,
 “ quæ inter diversas gentes ab ipsa natura
 “ constitutæ sunt. ”

Antequam ad genuinam atque distinc-
 “ tam juris gentium definitionem progredia-
 “ mur, rectam ac generalem juris hujus divi-
 “ sionem præmittendam esse judico. Divisio-
 “ nem hanc tradidimus in præfatiuncula juris
 “ naturæ privati, ubi observavimus, jus gen-
 “ tium aliud esse *naturale* proinde *universale*, &
 “ aliud esse *hypotheticum*, seu *particulare*. Pri-
 “ mum ad omnes omnino gentes, utpote ean-
 “ dem specie naturam humanam participantem
 “ se



se se extendit; secundum verò inter illas duntaxat obtinet gentes, quæ singulari titulo debite parto idipsum acquisierunt,

Itaque distinctis propositionibus definitio *juris gentium absoluti*, & definitio *juris gentium hypotbetici* tradenda videtur.

Jus gentium absolutum seu universale rectè describitur *complexio jurium atque obligationum, quæ ab auctore naturæ sunt insitæ omnibus gentibus utcumque diversis.*

Consequitur: ergo *jus isthoc absolutum est immutabile*, quemadmodum humana natura immutabilis est: ergo *ad omnes gentes, quæ veræ gentis prærogativâ gaudent, se se extendit*, easdemque naturaliter obligat. — Quamvis porro istud *jus gentium absolutum* analogiam quandam habeat cum *jure naturæ privato*, differt tamen ab hoc tum ex parte *subjecti*, tum ex parte *objecti*: *subjectum* quippe *juris naturæ privati* sunt *personæ individuae seu physicae*; atverò *juris gentium subjectum* sunt *personæ morales*, integræ videlicet *gentes ad se se invicem comparatæ*. — *Objectum* insuper *juris naturæ privati* sunt potissimum *actiones singulorum ad singulos*; econtra verò *objectum juris gentium* sunt *negotia & officia*, seu *jura & obligationes mutuae*, quæ non tam inter *privatas personas*, quam inter *integras societates sive gentes* occurrunt: quæ quidem *jura*, quæque *obligationes*

nes sunt *transeuntes*, id est, determinantes nexum debitum gentium cum gentibus in ordine ad generalem felicitatem consequendam.

Ex his facile colligitur, quod hoc jus gentium *absolutum* suam originem non debeat *consuetudini*, adeoque propriè consuetudinarium nuncupari haud valeat: enimvero consuetudo, quæ juris & legis vim habet, hunc effectum sortitur ex voluntate imperantium relatè ad cives suo imperio subjectos; adeoque inter personas morales liberas, seu inter gentes *communi* imperio non subordinatas, sed à se se invicem independentes locum habere nequit. Porro consuetudines certis circumscribuntur limitibus, ac determinatis locis coarctantur; jus autem isthoc gentium universale est & illimitatum. — Neque etiam jus istud *pactitium* vocari potest; pacta enim utcumque tacita, nullisque consignata tabulis, nullis etiam fultra testibus, nonnisi ad definitas paciscentes personas ampliantur; verum jus gentium *absolutum* per se se gentes adficit universas.

Jus gentium hypotheticum describi potest *libera gentium conventio, tacito pacto, seu diuturnis rectè ordinatis moribus introducta.*

Consequitur: ergo neque jus propriè consuetudinarium est, eo quod enatum sit inter gentes à se se invicem independentes, & quoad hoc à communi harum gentium inter



inter se comparatarum imperante, qui consuetudini vim legis seu juris tribuere potuisset, non dependens.

Neque immutabile jus est illud hypotheticum; quia acquisitum in tempore, diuturnis nempe gentium moribus, seu tacito pacto introductum. Porro jus gentium hypotheticum juri gentium absoluto non opponitur, etsi variis titulis ab eo distinguatur, uti patet é prioribus.

Conficitur ex his, quod diversitas juris gentium, diversa quoque pariat officia: unde cl. Zallinger Lib. IV. j. g. §. CCLXIX. ait: “ Absoluta gentium officia hic nuncupantur, “ quæ alteri genti erga alteram vi solius “ status naturalis, nullo posito facto incumbunt; “ bunt; quæ enim ex hypothese cujusdam “ facti emergunt, *hypothetica* sunt. „

Ex principiis hucusque relatis perspicue disfluit, quid sentiendum sit atque concludendum de vexata illa inter authores acriter disceptata quæstione, *an jus gentium differat à jure naturæ?* Differt sanè; sed non alio, quam hucusque explanato modo; ita tamen, ut jus gentium rectè constituatur quarta & ultima juris naturæ pars; ita ut pars prima juris naturæ, seu jus naturæ privatum *actiones hominum*, seu personarum privatarum, *secunda* seu jus sociale *actiones sociorum*, *tertia*, seu jus naturæ publicum *officia civitatum* inter



na, sive *immanentia*, quarta denique seu jus gentium officia *civitatum externa*, sive *trans-euntia* determinet: officia inquam & jura tam absoluta, quàm hypothetica. Sic v. g. officium juris gentium *absolutum* est per præpotentiam virium non perimere gentem alteram innocentem; & officium *hypotheticum* est, adtemperatis certisque modis alterius gentis tractare legatos.

Dici etiam nequit, quod jus gentium *hypotheticum*, utpote humanâ nixum voluntate, coincidat cum jure civili: ex præcedentibus namque patet ad sufficientiam, quod jus civile sancitum sit à superiore seu imperante ad instituendam stabiliendamque felicitatem suorum subditorum; dum écontra jus gentium hypotheticum constitutum est tacito pacto gentium à se invicem non dependentium live æqualium ad communem earum felicitatem obtinendam ac conservandam.

Neque etiam jus istud gentium confundi potest cum ratione statûs: quippe *ratio statûs* non id, quod justum, sed quod in circumstantiis emergentibus secundum sanam rectamque politicam utilius est & adcommo-datius, declarat atque determinat.